

† R. P. Alfonsus Frutsaert (1867-1933)

(*Eiusdem Prov. Belg.*)

† R. P. Alfonsus Frutsaert (1867-1933)

(*Eiusdem Prov. Belg.*)

R. P. Frutsaert primum clero saeculari in dioecesi Brugensi fuit decori et pretioso iuvamento, postea familiae nostrae.

Natus est Ostendis d. 28 Febr. 1867. Postquam studia humanitatis in collegio suae urbis, theologica autem in Seminario Brugensi peregit ibique d. 31 Maii 1890 ad sacerdotium escendit, ab Episcopo est designatus, ut altioribus studiis in Universitate Catholica Lovaniensi ad munus iuventutis instruendae sese pararet. Qua praeparatione completa, in collegium Ostendiense revertit, ut, ubi olim magistros suos audierat, ipse rhetoramicam adolescentulos doceret, et mox toti instituto praeesset.

Attamen a sacro baptimate S. Alfonso ut caelesti patrono commissus, ex eius potius discipulis esse ardenter cupiebat. Venia haud facile ab Episcopo impetrata, denique d. 29 Sept. 1901 Trudonopoli in noviciatum admissus, annoque probationis peracto, religiosis votis Congregationi et S. Alfonso adstrictus est.

Primos religiosae vitae annos in domibus nostris Bruxellensi (1902-1905) et Rollariensi (1905-1909) ministerio apostolico devovit. Superiores

autem nostri, scientes eum iuventutis instruendae peritum, a. 1909 P. Frutsaert in studiorum domo Pulchriugi Lectorem historiae ecclesiasticae, anno vero 1912 eiusdem domus Rectorem designant.

Bello interim exorto et rebus omnibus in nostra patria turbatis, iuvenatus noster (*Esschen*), a reliqua regione omnino seclusus, iam nullum poterat iuvenem accipere. Ideo Patri Frutsaert cura mandatur, ut ad tempus aliquem iuvenatum in domo nostra Trudonopoli instauret. Mirum est, quo studio et ingenio, difficillimis in adiunctis, in loci angustiis, carens instrumentis maxime necessariis, classicas humanitatis litteras, et quidquid ad mentis et cordis formationem pertinet paterna cura iuvenibus nostris procuraverit. Ita factum est ut novitiati nostro etiam tempore belli alumni non deficerent.

Pace renata, statim cum alumnis et Lectoribus Esschen petiit, ibique eodem zelo singulares suas facultates adhibuit ad collegium nostrum SS. Cordis Eucharisticici rite ordinandum.

Sed magis eversa erat domus nostra Rollariensis, et ideo finis factus secessibus iam ab aliquot annis pro laicis ibi mirabil frequentia habitis. Itaque hoc opus instaurandum aedificata domo Patri Frutsaert committitur. Qui eodem semper studio et ingenio, nihil sibi parcens, ab anno 1919 usque ad annum 1927, plurimis omnis generis et condicionis virorum et iuvenum centenis exercitia spiritualia vel ipse praedicabat, vel a confratribus praedicanda curabat, consilio et vigilantia et singulari omnia ordinandi ingenio assiduus. Cui labori etiam directionem adiunxit confraternitatis S. Familiae. In qua re pariter omnes sui animi dotes multos per annos expandit, usque dum labefactatae vires ne hanc quidem operam perficere sinerent.

Anno 1927 primas magnae infirmitatis manifestationes perspicere erat. Ex quo tempore crucem cum divino Redemptore fortiter et etiam alacriter tulit. Aliquot menses Trudonopoli et deinde in nova nostra domo Gandavensi permansit. Tandem Rollarium reversus, quamquam eundem ut antea laborem assumere iam non valebat, quiescere tamen in hac terra noluit. Sapienti consilio et sueta sua affabilitate sacerdotibus et laicis, divitibus et pauperibus perfugium fuit. Post eius decessum magistratus in civitate conspicuus pulcherrimam de eo laudationem conscripsit, dum minimi et pauperrimi eius mortem plangunt. Quam mortem ipse confrater praevidit et exspectavit. Sciebat enim tali se infirmitate affectum esse, quae omni momento vitae finem imponere posset. Postremis vitae diebus exercitia anni secessus peregit. Ita sabbato, 25 Novembris 1933, primo mane, Mater Dei et S. Alfonsus filium suum dilectum non imparatum invenerunt, et, ut speramus, in caelum transtulerunt.